8.

SOLENNIA ACADEMICA

UNIVERSITATIS LITERARIÆ REGIÆ FREDERICIANÆ

ANTE L ANNOS CONDITÆ

DIE II SEPTEMBRIS ANNI MDCCCLXI

CELEBRANDA INDICIT

SENATUS ACADEMICUS.

CHRISTIANIÆ.

TYPIS BRØGGERO-CHRISTIANIS.

1861.

Universitas quæ dicitur literaria ut in Norvegia nostra conderetur, per longinqua tempora populo ardentissimis in votis fuerat. Quamdiu enim domi deerat talis omnium artium quasi officina, quicunque liberaliorem concupiscebant eruditionem, iis nulla alia patebat via, quam ut magno cum pecuniæ temporisque dispendio peregre abirent et teneros adolescentiæ annos a parentibus, amicis, popularibus disjuncti, illecebris ac periculis omnis generis obnoxii degerent. Et ne illud quidem acutiores saltem fugere poterat, totum populum non ante vere liberum suumque futurum, quam civibus domi copia esset quum quæ in literis gravissima essent perdiscendi, tum quæ didicissent publice docendi. Nam si cui populo perennes doctrinarum fontes non ex ipso qvasi solo scaturient, is aut omnem mentis apparatum atque institutionem ab externis mutuari cogetur ideoque ex his perpetuo pendebit, aut scilicet — si fieri poterit — omni liberaliore doctrina carebit totusque in animi torporem et sordida quæstus studia delabetur, quæ re vera servitus etiam turpior erit.

Itaque nemini mirum videri debet, quod inde a medio fere superiore seculo ac præcipue seculo ad finem vergente, quo tempore per totum orbem terrarum liberiores quidam animorum motus emicabant et late propagabantur, consilium multis modis agitatum est Universitatis literariæ in patria nostra instituendæ. Sed ei rei multa obstabant. Primum enim qui rebus publicis præerant, huic consilio minus favere videbantur, timentes scilicet, ne Norvegorum animi, si Universitatem literariam nacti essent, a Danis magis divelle-

rentur, quam antehac, quum non modo quotquot illorum ad muneris publici honorem adspirarent, in Hauniensi Universitate et erudiri et scientiam qualemcunque judicibus approbare coacti fuissent, sed in universum si quid rerum ad literas pertinentium etiam in Norvegia forte ageretur, id semper Hauniensem quasi solem spectare necesse esset. Deinde etiam jure quodam timeri posse videbatur, ne Universitas ista, quæ in Norvegia tanto ardore affectabatur, re vera admodum manca atque imperfecta evaderet, bonis literis et veræ eruditioni, quippe ad perfectiorem institutionem aditum quasi præcludens, damno magis quam usui futura. Deerat enim ad Universitatem condendam et sustentandam pecunia, deerant doctores, deerant pæne studiosi juvenes, per longam annorum seriem quidquid hujusmodi facultatum in Norvegia aleretur Hauniam tracto et omnibus quasi ingeniorum succis illuc defluentibus. Nam eorum, qui in Norvegia nati Hauniæ literis studebant, si quis aliqua ratione excellere coeperat, eum fere non ad patrios montes, ubi omni pæne doctrinæ renuntiandum esset, redire, sed Hauniæ in clariore luce manere maluisse, non est quod mireris, quum potius admirari possis tenacem quorundam patriæ amorem, quo effectum sit, ut Norvegia doctrina et ingeniis non prorsus destitueretur. Nam rursus fieri poterat, ut si quis Danus minus bonos in literis profectus probasset, ei utcunque procul a Jove ad munus aliquod capessendum aditus facilior esset.

Quæ omnia quo minorem nostratibus spem faciebant Universitatis, quæ quidem hoc nomine digna foret, nanciscendæ, eo magis populum ea vere indigere prodebant desideriumque ejus acuebant. Quod ineunte hoc seculo, quum commeatus, qui inter Daniam et Norvegiam fere mari fiunt, propter bella interclusi vel saltem rari et periculosi essent, in dies etiam crescebat. Itaque anno hujus seculi decimo, annonæ difficultate et omnis generis periculis undique patriam urgentibus, a civibus quibusdam condita „societas pro salute Norvegiæ“, quæ consilio, opera, omnibus modis patriæ angustiis subvenire studeret, nihil antiquius habuit, quam ut illa de Universitate condenda consilia pridem agitata, mox autem aliquantisper quasi sopita, resuscitaret.

Quamobrem primum quæstionem de ea re publice proposuit, præmium ei pollicita, qui optimum de hac quæstione librum perscripsisset. Reportavit hoc præmium Nicolaus Wergeland, tum scholæ Christiansandensis Adjunctus, libro, qui Mnemosyne inscriptus ejusdem societatis impensis anno sequente prodiit. Jam quum inprimis sine pecunia nihil perfici posse videretur, illa ipsa societas populum provocavit, ut pro se quisque nomen daret diceretque, quantum Universitati futuræ donare vellet. Cui provocationi mirum est quam benigne responsum sit. Undique a civibus omnium ordinum, etiam quibus satis modica erat res, dona conferebantur, et brevi summa, quam pro angustis hujus populi illo præsertim tempore rebus amplissimam ac vere splendidam dixeris, confecta est.

Hinc ut re comprobatum est, cunctum populum non solum vehementer cupere illud, de quo agebatur, doctrinæ præsidium, sed etiam quæ ad hoc comparandum sustentandumque opus essent conferre et velle et posse, rex Fredericus VI., tam nobili ardori utique obsequendum ratus, a. d. VI. Nonas Septembres anni MDCCCXI edictum promulgavit, uti esset in Norvegia Universitas Literaria, ipsius nomine Fredericiana nuncupanda, in quam quæ peculiariter pro Norvegis studiosis Hauniensi Universitati legatæ fuerant opes transferrentur, cuique eorum librorum, quorum in bibliotheca regia bina asservarentur exemplaria, singula traderentur. Addidit regale beneficium prædium suburbanum (nomine Tøien), quod tum ad ædes academicas domiciliaque professorum exstruenda, tum ad hortum botanicum dimetiendum colendumque commodum videbatur.

Hoc edictum regium ubi in Norvegia innotuit, incredibile est quantam omnium lætitiam excitaverit. In omnibus urbibus, oppidis, vicis solennia celebrari, in templis supplicationes fieri, senes, juvenes, divites, inopes, ad unum omnes extollere regis beneficium, quo gloriosius totique populo salutarius nullum conferri potuisse videbatur: ut etiam mirari subeat temporum populique inexperti sanctam simplicitatem, quæ rem haud ita singularem tanti fecerit, nisi forte agnoscere velis rectam rationem et præsagum quendam populi ani-

mum, qui cerneret, in illo sane quasi cardine veram populi salutem et libertatem verti, si divinarum humanarumque rerum scientia in ipso solo natali radices ageret riteque in perpetuum coleretur.

Sed ut illo edicto jam cautum erat, ut ne res certo careret eventu — quamobrem etiam ab eo inde die Universitatis nostræ annos jure computamus —, ita priusquam tanti momenti tantæque molis institutum ad effectum perduci posset, multa adhuc restabant consideranda, deliberanda, præparanda. Itaque talibus molitionibus duo consumebantur anni, ut tertio decimo demum hujus seculi anno primis adscriptis civibus academicis scholæ incipere possent. Quamquam et hæc initia satis parva erant. Professores aderant nonnisi sex, quorum quasi coryphæorum quorundam nomina hic apponere placet. Erant igitur *Nicolaus Treschow* philosophus, qui Rectoris munere fungebatur, *Georgius Sverdrup* philologus, *Janus Rathke* physiologus, *Severinus Rasmusen* mathematicus, *Ludovicus Stoud Platou* historicus, *Sveno Borchmann Hersleb* theologus. Cives primo examine probati et adsciti sunt XVIII. Librorum omnisque doctrinæ apparatus summa erat penuria, quum illa Hauniensis bibliothecæ pars, quæ nostræ Universitati debebatur, infesto hostibus mari credi non potuisset; quæ etiam postea, regnis diremtis, rerum publicarum turbis aliquamdiu Hauniæ retenta est. Quin etiam professores, quum difficilibus et flexuosis per Sueciam itineribus Christianiam pervenissent, libros quos privatim possidebant Hauniæ relinquere coacti, jam solis quas memoria tenebant doctrinæ copiis freti scholas aperirent necesse erat. Sed vicit impedimenta et quæcunque deerant explevit animorum ardor, docentiumque et discentium summum studium. Insequenti anno plures adsciti sunt professores, et quum res porro publica et privata liberalitate benigne adjuvaretur atque ornaretur, sensim eo crevit, ut jam nos, qui solennia agimus semisecularia, Universitatem literariam habeamus pro nostræ quidem reipublicæ rationibus satis amplam ac locupletem; siquidem professores et lectores numeramus ordinarios XXXIII, extraordinarios II, Adjunctos sive Stipendiarios X, bibliotheca academica gaudemus voluminum circiter CL milia continente, ceteris apparatibus et Museis quæ

dicuntur nec jam contemnendis et annua pecunia ita instructis, ut indies crescere possint. Cives academici quotannis scholas frequentant circiter D.

Et licet hanc Universitatem in extrema quasi orbis ora positam neque tantam in doctrinis explicandis augendisque vim exercere, quantam aliæ nonnullæ æquiore loco sitæ Universitates exercuerunt, neque scilicet æqualem iis assequi honorem potuisse, res ipsa doceat: tamen etiam hanc, qualiscunque est, credimus haud prorsus sine gloria militasse suumque quantulumcunque ad humanæ scientiæ ædem exstruendam lapillum fideliter adjecisse. Sed utut est, certe nostro populo nostræque reipublicæ Universitatem nostram maximo præsidio et fuisse et esse, nemo est qui non videat. Quin etiam ut respublica tandem aliqua nostra libera et sui juris exstiterit, ejus rei haud leve momentum in eo infuisse existimandum est, quod Universitate literaria paulo ante condita populus jam habebat, quo quasi oculos converteret, in quo libertatis suæ ingenii doctrinæque vi sustentandæ, alendæ, per juventutem perpetuo propagandæ spem certam collocare posset. Neque opinionem fefellit eventus. Nam etiamsi de aliis rebus minus gloriari fas sit, at hoc Universitas nostra suo sibi jure vindicare posse videtur, se verum ac sincerum patriæ amorem semper fovisse, universamque, quam secuta sit, studiorum rationem atque animorum quasi colorem ad libertatis studium in toto populo et firmandum et justis terminis circumscribendum haud minimum valuisse.

Quæ quum ita sint, sane est quod conditæ hujusce Universitatis memoriam summa cum lætitia recolamus. Neque scilicet, dum prosperos illos, qui per hos quinquaginta annos facti sunt, progressus hodiernorumque temporum felicitatem suspicimus, committemus, ut parva atque exilia illa initia majorumque simplicitatem forte contemnamus. Potius antiquæ illius virtutis animique et fortis et modesti, qui parvis subsidiis contentus, deo sibique confisus maxima quæque auspicari et summæ rerum unice intentus singula minus curare est ausus — ejus igitur animi admiratione confirmabimur ad arcendam istam, quam secunda fortuna et rerum ubertas facile gignit, mollitiem quandam fastidiosam, ex opportunitate rerum externarum plurimum sperantem et in mi-

nutissimis quibusque studiis delicias gloriolasque quasdam sectantem. Ad eam animi confirmationem maxime valitura videntur hæc, quæ jam agenda sunt, solennia, quibus totum, quod emensi sumus, curriculum uno obtutu comprehensum totamque rei imaginem quasi in breve coactam contuebimur, ut unitas ejus ac perpetuitas animis nostris alte impressa sentiatur.

Sed nostra Universitas dum in eo est, ut decimo suo condendo lustro primos annos quodammodo recolligat cumque suis primordiis connectatur et quasi rotundetur: hoc etiam non potest non recordari, se, licet huic populo peculiarem, tamen vi sua atque natura etiam ad universum orbem literatum pertinere atque inprimis cum omnibus, quæ ubique sunt, Universitatibus atque Academiis intimo quodam vinculo conjunctam esse. Ut igitur, si quem extraneum professorem, doctorem, studiosum suarum rerum rationes siverint præsentia sua hæc nostra solennia ornare atque illustrare, his literis invitatum velimus: ita illud certe speramus, fore, ut etiam qui loco disjuncti erunt, animo votisque nobis adsint, neque dedignentur, hac, qualiscunque est, Universitate literaria condita communis doctrinæ atque humanitatis fines uno saltem gradu prolatos celebrare.